Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 527
Quelle:
Copyright:

tamen in fine C. I. L. I. ubi de Naribus et Odore agitur, pro *flagrantia* rescribendum est in edit. *fragrantia*, quod habuit Codex noster, sed secunda manus more illius aevi, quo frequenter *fraglare* pro *fragrare* occurrit, mutavit in *fraglantia*, atque id Editor ineptam fortasse Librarii μεταθεσιν judicavit, si in suis etiam Exemplis reperit.

IV. *fol.* 109. p. 2. *Incipit tractatus sancti Ambrosii Episcopi de Penitentia.* Non illico. Praemissa est enim Objurgatio illa, quae inter *Hieronymi* Rejectitia T. XI. *Opp. col.* 230. a *Vallarsio* relata et inscripta fuit: *Ad quemdam, qui in Seculo poenitebat*, ignorante jam *Erasmo*, a quo, aut ad quem profecta sit. In Editis incipit: *Ad te surgo hominem, quem scio esse fidelem. Ad te increpatio mea festinat, quem sentio esse superbum.* In Codice vero: *Ad te increpationem festino, quem scio esse superbum* &c. Qua ratione huc se penetraverit isthaec Naenia, cum ignarissimis novi. Eam tamen excipiunt genuini *Ambrosii Libri* II. quorum initium: *Si virtutum finis ille est maximus* &c. ut edit. T. II. *col.* 389. et Textus satis castigatus.

Ad calcem adscripta est Sec. XII. haec Donatio: *Notum sit omnibus christianis quod quidam uir nobilis nomine Hermannus de cazelinesdorf et uxor eius Gerdrudis delegauerunt sancte et intemerate dei genitrici semperque uirgini marie quoddam predium in loco qui dicitur bard. & huius rei testes sunt ipsemet Hermannus. et duo milites proprii eius Ruodolf de cazelinesdorf. fridericus de bockesrukke. et filius sororis huius hertinc. Uolricus de Witegis. Siboto de busrukke. Abertus de thimnic. Porne de amelungesbahc. Hainrich de spileberc. Pilgrim de struome. Alber & filius eius ulsalcus de bicendorf. Lutholt Sigemar de sassen.* Non pauca horum Locorum parce detortis nominibus vel hodie supersunt per utramque *Austriam.*

CCXCI.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 95. f. per duas columnas nitide exaratus, et literis initiorum per priores aliquot paginas picturatis hoc rubro gaudet: *Incipit Tractatus Sancti Ambrosii Archiepiscopi de Psalmo Centesimo octauo decimo.* Prologi initium: *Licet mistica queque uelut tube increpuerit sono dauid prophetа* &c. Initium Sermonis I. *Beati immaculati* &c. *Quam pulcher ordo, quam plenus doctrine et gratie.* &c. Atque ita Sermonibus XXII. pro literarum hebraicarum numero exponitur Psalmus, expositione desinente in haec verba: *Cepit in ortis esse ecclesia, postquam in ortis passus est christus.* Additur: *Deo gratias*, et rubro: *Explicit Tractatus* &c. ut in fronte. Habetur hic Commentarius T. I. *Opp. Ambrosii* edit. *Maur. Paris. 1686. col. 971. f.* Verum Editoribus nullum Codicis nostri ἀντιγραφον ad manum fuisse videtur; alioquin enim lectionis varietatem, quae non R. 18